

---

## In memoriam P. Eduardi Douglas <sup>1</sup>

Ob multas rationes Divinae Maiestati, unde omnia bona mortalibus proveniunt, vividos grati animi sensus fovere nos oportet: quod in devotione erga Cor Iesu Eucharisticum nobis commisit florem devotionis adeo suavem; quod in sacra Imagine Matris de Perpetuo Succursu dedit nobis palladium adeo nobile; et in Archisodalitate S. Familiae medium apostolatus adeo efficax; et in S. Alfonso, universalis Ecclesiae Doctore, Fundatorem adeo gloriosum; et in S. Gerardo Thaumaturgum adeo potentem; et in S. Clemente Propagatorem adeo insignem... Sed ideo quoque gratias agamus omnium bonorum Largitori, quod in persona

---

<sup>1</sup> Effigies hic apposita vivo P. Douglas depicta est et in domo generalitia asservatur. Sinistra tenet suum librum anonymum *Il Divino Redentore e la sua Chiesa* (Roma 1891, p. 657).

P. Eduardi Douglas largitus est benefactorem adeo munificum, donantis nobis in « Villa Caserta » temploque attiguo centrum Romanum eiusmodi, ut reliquae Religiones quasi nobis invideant. Hoc autem anno decet huius eximii benefactoris nostri memoriam innovare, quia hoc anno 1948 completur primum saeculum, ex quo hic nobilis divesque Scotus, a. 1842 Romae in veram Christi Ecclesiam receptus, Fori Livii, vulgo *Forlì*, sacerdotio auctus est (25 Iunii 1848), brevi postea augustum Novae Legis Sacrificium Deo obtulit Paganis super Reliquias S. Alfonsi, et tandem festo Immaculatae Conceptionis Londini ab insigni discipulo S. Clementis P. Friderico de Held in nostram familiam cooptatus est; dimidium autem completur saeculum, ex quo Eduardus Douglas Romae in domo generalitia a se fundata d. 23 Martii 1898 vitam sanctam sancta morte finivit. Et corpus eius, quasi plane incorruptum, adhuc apud nos in crypta ecclesiae S. Alfonsi quiescit.

Certe familia Alfonsiana in sua ultra-bis-saeculari existentia non habuit sodalem Eduardo Douglas liberaliorem magisque munificum.

Is enim, degens Trudonopoli qua novitius, nondum habebat, superstite etiam tum genetrice, plenam pinguis sui patrimonii possessionem, sed tantum annuatim millenas libras sterlinas; tamen iam tunc plenis manibus coepit beneficia sua largiri, donans Superiori Provinciae Belgicae P. Mich. Heilig trecentas libras sterl. et a mensulario alias mutuans, ut etiam incipienti fundationi Londinensi (Clapham) succurrere posset.

Praesertim vero in grata nostra memoria perpetuo manere debent hae litterae, a P. Douglas Martio a. 1853 ad P. Fridericum de Held datae: « ... Praeterquam quod a multo iam tempore cogitavi, Congregationi non levi esse detrimento, quod Romae ignota sit, subierat etiam mihi ante paucos dies cogitatio, summo bono mihi esse futurum, si impensis meis Congregationi in Urbe domum comparare possem, dummodo illud praepositi mei gratum haberent. Dum igitur in hac cogitatione detinerer, en mihi advenit epistula tua, ex qua intellexi, opportune mihi inditum fuisse eiusmodi desiderium... Equidem paratus sum in conventus (ab Humili-



tate) emptionem summam 8000 libellarum sterlinarum seu 200 000 libellarum gallicae monetae suppeditare... »<sup>1</sup>.

Libentissime, ut patet, Vicarius Generalis P. Rudolfus Smetana oblatum donum acceptavit, immo donatorem mox ad se in Germaniam vocavit indeque exeunte eodem a. 1853 Romam misit ad emendam nobis aptam domum generalitiam. Habebat igitur P. Douglas in nostro parvo hospitio Monteronensi, et cum manifesto Dei Providentissimi adiutorio iam a. 1854 a principe Michaëlangelo Caetani in Esquilino « monte » magnificentum praedium, *Villa Caserta* dictum, emit pretio 50 000 scutorum, aedesque sine mora ita transformavit, ut iam a. 1855 ibi Capitulum generale haberi potuerit, in quo ipse electus est d. 19 Iulii, una cum PP. Pajalich, Lelouchier, Macchiusi, Verheyen et Haringer, Consultor Generalis, dispensatione quoad aetatem ei concessa<sup>2</sup>.

Iam d. 27 Aug. 1854 a Rmō P. Smetana parvae Provinciae Romanae, tunc temporis ob discessum plurimorum sodalium Neapolitanorum in angustiis constitutae, praepositus erat, et qua talis mox confirmatus est a novo Rectore Maiore Rmō P. Nicolao Mauron. Romanam Provinciam P. Douglas ex sua residentia Monteronensi gubernavit usque ad a. 1862, quo Rector domus generalitiae renuntiatus est, quod munus usque ad Capitulum generale a. 1894 retinuit. In photographia Capituli hic ex antiquo stipite typographico inserta P. Douglas videtur inter novum Rectorem Maiorem P. Raus et novum Cons. Gen. P. Dilgskron. In Actis Capituli, n. 1421, leguntur haec verba: « Peracta electione (novorum Consultorum Generalium) Rmūs Pater Rector Maior paucis gratias agit ... praeprimis Pl. R. P. Eduardo Douglas optime merito de hac domo et de tota Congregatione suamque voluntatem esse annuntiat ut eidem viventi honores Consultoribus Generalibus debiti continuentur et defuncto suffragia specialia applicentur ».

Atvero in P. Douglas nil magis mirandum quam eius virtus plane eximia, immo plurimorum iudicio vere heroica, ita ut P. Claudius Benedicti, Postulator Generalis noster notissimus, nobis quondam a. 1922 dixerit se serio cogitare de introducenda Causa huius Servi Dei. Eius virtutes testis omni exceptione maior, Rmūs P. Raus, in litteris circularibus ipso die obitus Patris Douglas 23 Mart. 1898 ita egregie complexus est: « Effusae in Congregationem caritati reliquas omnes sociavit virtutes, quae optimum quemque inter Alfonsi filios optimumque Superiorem ornare possunt. Quanta in eo pietas erga Christum Dominum Christique sanctissimam Matrem! De cuius Effigie a Perpetuo Succursu nuncupata, cum huic nostrae ecclesiae cederetur, quantum ipse gavisus est! Sacrosanctam

<sup>1</sup> A. WALTER, *Villa Caserta* 16 s.

<sup>2</sup> *Acta integra*, n. 1272. In n. 1273 refertur hanc electionem a P. Dominico Centore impugnatam, sed nova votatione secreta approbatam esse.



IN MEMORIAM E. DOUGLAS: CAP. GEN. A. 1894

Domini vitam et mortem assidua recolebat meditatione. Palaestinam olim et Aegyptum, atque in eis loca omnia, quae divinus Redemptor et Dei-para Virgo vestigiis suis sacraverunt, religionis causa obiverat... Augustissimam Eucharistiam, praesertim cum publicae exponeretur adorationi, incredibili devotione prosequeretur. A Missa celebranda nunquam, nisi vi morbi omnino prosterneretur, abstinuit; eratque illi in deliciis sacrosancto Sacrificio, quam saepius liceret, interesse. Petrum Apostolum<sup>1</sup> ac Pontifices Romanos praecipua colebat reverentia, eorumque iura ac privilegia, si quis ea negare aut tenuare audiretur, totis viribus tuebatur.

« Prae ceteris tamen virtutibus effulsit in eo admirabilis humilitas, quae ultimum semper locum ac viliora quaeque munera ambiebat<sup>2</sup>; tum paupertatis spiritus, eo progressus, ut re nulla, nisi trita, uti vellet, ac sola obedientia eo adduci posset, ut vestem novam indueret; simplicitas demum evangelica, quae ingenium, quod habebat acerrimum, et eruditionem, qua erat copiose instructus, obvelare studebat. Instar Pauli Apostoli mundum ita abhorrebat, ut mundus ipsi crucifixus, ipse vero crucifixus mundo vere dici potuerit. Uno verbo, nesciri amabat et pro nihilo reputari, eiusque vita abscondita erat cum Christo in Deo. Nec minori erat caritate cum in proximum quemlibet, tum potissimum in eos, quibus praeeset. Praeferebat, ipsi impressam vultui, imaginem mansuetudinis Christi. Patientia tandem, quae opus perfectum habet, enituit incomparabili; cumque per diuturnos annos variis, iisque molestissimis, infirmitatibus vexaretur, nunquam visus est tranquillitatem animi frontisque serenitatem amittere. Quodsi quando acrius doloribus urgeretur, oculis ad caelum sublevatis, dicere solebat: *Fiat voluntas Dei! Benedictus sit Dominus!*

« Atque haec fuit, dilecti Fratres, vita virtutibus plena, morsque pretiosa desideratissimi Patris Eduardi Douglas. Qui cum virtutes aemulatus esset S. Patris nostri Alfonsi, etiam quoad externam corporis speciem et inclinatum in pectus caput eiusdem beati Parentis praeferebat imaginem... »<sup>3</sup>.

Renascatur itaque in cunctis per orbem sodalibus impraesentiarum, completis ab huius nobilis Scoti in Congregationem ingressu centum, ab eius beata morte quinquaginta annis, grata tam sancti confratris tamque insignis benefactoris memoria.

<sup>1</sup> P. Douglas in domo generalitia collocavit illam parvam statuam S. Petri, quae hodie dum ex adverso oratorii domus est.

<sup>2</sup> Defunctus P. Carolus Lotter nobis quondam narravit, sibi, tunc in Gallia degenti, dixisse confratrem ex Urbe reducem: « Tandem aliquando vidi hominem, qui est vere humilis, immo humilitas personificata: nostrum Patrem Douglas ».

<sup>3</sup> *Litterae Circulares Rōni P. Mathiae Raus*. Romae 1908, p. 150 s.; F. KUNTZ, *De vita Eduardi Douglas breve commentarium*. Romae 1909, p. 168 ss. Idem auctor, qui fuit confessarius Patris Douglas, ibidem latius virtutes sui poenitentis exponit p. 174-245 iuxta nostrum schema 12 virtutum.